

Thes. prob.

§. 2. Sed negamus in DEUM cadere affectus propriè dictos vel commotiones : Commotio enim immutabilitati, motus propriè qui est accidens, simplicitati & Majestati DEI repugnant : Dicuntur autem, quæ dicuntur ἀνθρωποπαθῶς, ut intelligantur Θεοπροπῶς, juxta Regulam Damasceni : τὰ ἀνθρωποπαθῶς λεγόμενα, Θεοπροπῶς νοεῖται.

Object.

§. 3. Obj. Vorstius 1. affectus in se & formaliter dicere perfectiones. Resp. non simpliciter & absolutè, sed secundum quid, sc. in subjecto perfectibili & impotenti ex sua essentiali perfectione, ut est in animalibus : In DEO inferunt essentiali imperfectionem. Obj. 2. DEUM esse omnium affectuum auctorem E. in se habet quid illis analogum. R. Non sequitur quorum DEUS est auctor, ea in se habet ἀναλόγως, nisi ἀναλόγως in se haberet arbores & plantas, boves & asinos, quod ἀτοπον & ἄλογον. Obj. 3. in DEO esse spem, secundum quam esset perfectè hilaris. *Desiderium*, quo expectet à nobis bonum : *Gaudium*, quo lætetur bono præsentis : *iram*, qua propellat à se malos. *Gratiam*, qua benignè respiciat bonos. *Misericordiam*, qua misereatur afflictorum. Resp. dici hæc non formaliter & propriè, sed nostro concipiendi modo ἀνθρωποπαθῶς.

Q. X. An in DEVM cadat realis compositio ? N.

§. 1. Vorstius, non quidem compositionem intelligit DEO competentem, qua ante separata adaptentur & conjungantur, sed qua in se contineat intra suam perfectionem aliud atque aliud.

Antith.

§. 2. Sed in DEO non est aliud atque aliud, non componentia realiter diversa. Neque personæ vel relationes à DEO ejusdem essentiali faciunt extrema componentia, ex quibus tertium ἕτερόν τι & novum quid resultet? Essentiali enim in se eminentissimo & simplicissimo modo omne continet. Neque ex subjecto & attributis ejus datur compositio, quia attributa sunt ipsa DEI essentiali.

Q. XI.